



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 19. in malè transfiguratos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA XIX.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

In Malè transfiguratos.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17. v. 2.

S. I.
Elegans
sententia
Job.



Arrat doctissimus Salmeron tract. de infantia Salvatoris, animalculum esse, cui carbunculo nomen, eò quòd gemmam splendidissimam *carbunculum* appellatam suã gestet in fronte, eã tamen cautelã & naturæ solertiã, ut pelliculã velut palpebrã contegere thesaurum suum possit, próque libitu detegere, ac clarissimis emissæ lucis radijs noctem ipsam in diem commutare. Si summa componere licet infimis, carbunculo Christum contulero, dum absconditos divinitatis suæ splendores, omnibus illustriores carbunculis, in monte Thabor revelavit, quando transfiguratus est ante eos. exinanivit ille se, cum formam servi accepit, sed speciem gloriæ in monte Thabor tantisper reassumpsit, ut se regem gloriæ & authorem luminis demonstraret, de quo Job. c. 36. v. 33. vaticinatus est: *in manibus abscondit lucem & præcipit ei, ut rursus adveniat, annuntiat de ea amico suo, quòd possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.* lucem in manibus absconditam habuit Christus, quia cum in potestate ejus esset, ut illustis aut obscurus, in gloria vel ignominia, in splendoribus divitiarum aut squalore paupertatis mundum intraret, abscondit splendores & squalorem prætulit; nè

verò necessitate id potiùs, quàm voluntate videretur egisse, præcepit luci, ut rursus adveniens vestimenta super candorem niveum deargentaret, vultum præ sole splendidum deauraret. quod dum momento citius præstat obsequiosa lux, *annuntiat de ea amico suo* Petro, Joanni, Jacobo. *quòd possessio ejus sit & ad eam possit ascendere*, & mortales omnes illustrare, dummodo lucis esse filij ament, & pro Dei placito nunc exinaniri cum Christo, ut cum eodem ad æternaturam gloriam transfigurentur. Verùm quæ humanæ indoles est malitiæ, non desiderant mortalium plerique eas formas ac figuras, quas illis Servator pijsissimus offert, sed quas perversus excogitat genius, ut alij ex alijs quot diebus appareant, & novam non in mensis solùm & hebdomadas, sed dies pœne ac horas celebrent transfigurationem. contra quos malè transfiguratos si boni nihil protulero, suæ id impudent malitiæ

Primam malè transfiguratum creaturam cœlum nobis objicit, principem videlicet Angelorum, qui ex Seraphinorum pulcherrimo, in turpissimum degeneravit monstrum, rufum draconem, mortiferam bestiam, horridã omninò metamorphosi, quã tertiam stellarum partem pariter involuit, & ex carbunculis cœli in titiones inermi-

S. 2.
Prima
infelix
transfigu-
ratio in
cœlo alte-
ra paradisi.

commutavit. his suppres sunt omnes ij, qui ad imaginem & similitudinem DEI creati, serpentum & viperarum naturam induunt, serpunt in pectore & ventre, qui sequuntur appetitum iracundiæ, qui in pectore residet & luxuriæ, quæ in ventre, *serpentes & genimina viperarum* à præcursore Christi & ipsomet servatore nostro compellati Matth. 3. v. 7. & Marc. 23. v. 31. *genimina viperarum quomodo fugietis à iudicio gehennæ.* Suffuranti serpenti similis est, qui proximo suo obloquitur, quoniam & audientis animam perdit & suam non salvat, inquiebat Hyperichius in vitis PP. Viperæ cum vinum ament vinoque ebriæ capiuntur ut docet Aristoteles l. 8. animal. c. 4. symbolum sunt ebrioforum; & quia in libidinem effusæ ut viginti effundant catulos, luxuriosos denotant; transformantur itaque in serpentes & vipersas, qui suffurones agunt & voluptates venereas (venenatas oportebat dicere) sectantur.

Malè transfiguratus Lucifer, ut caput generis humani perverteret, basiliscum induit, ut vult Eugubinus, aut viperam, ut putat Delrio, aut scytalen magnitudine & tergi varietate præfulgentem, ut tradit Pererius; vel, ut cum Beda, sentiunt D. Bonaventura & Dionysius Carthusianus figuram draconis assumpsit pedibus insistentis, facie virgineâ, tergo vario instar iridis fulgente; quâ specie in admirationem Evam traxit, tum & consensum in vetiti fructus esum persuasit, totâque posterorum seriem turpissimè dementavit. Video, heu video extra paradisi delicias in terra Hebron exulem Adamum, amictum folijs ficuum, quasi in ficulneam abüssset & pelliceis contextum tunicis, quasi ex homine in feram mutatus esset. Adam ubi es? A-

dam qualis es? Adam ubi stola immortalitatis, byssus innocentia, paludamentum gratia, cui nullus stellarum splendor, nullus gemmarum nitor, nullus florum & colorum decor, nullus auri fulgor, nullus purpuræ rubor potest supparari? perit hæc vestis & cum veste felicitas, perit Adamus in Adamo, dum alium à semetipso factum se obstupescit, erubescit, ingemiscit. Videt hodie Adamus progeniem protopatre suo longè vitiosorem, quæ non in unam; sed omnium pœne monstrorum turpitudines se transfiguratur. Videt innumeros filios prodigos, nescio quo Circeo illectos poculo non tantum convictores porcorum fieri, sed in porcos mutari, nec respiscere, dum orcinis dati in prædam spiritibus in stagnum ignis & sulphuris præcipitentur.

Vix invenio vivaciorem malè transfigurati hominis imaginem, quam Nabuchodonosorem, quem divina Nemesis in bovem mutavit, ut talis appareret exterius, qualis interiùs erat. Vitiata erat in ambitioso Rege phantasia, ut se bovem esse crederet, nec nisi ea voveret per septennium animo, quæ bovina sunt; complexio ipsa corporis adeo mutata erat, ut in ferinas tantum voluptates propenderet, voces articulatas non emittebat, sed mugiebat ut bos, coniscabat ut bos, manibus pedibusque reptabat ut bos, herbas vorabat, ut bos, eratque deformata facies, prolixus & intonsus crinis, cutis indurata, cætera membra nudus & omnibus cæli injurijs expositus. hæc est perfecta malè transformati peccatoris idea, ita enim vivit acsi rationem non haberet, quâ noxia ab utilibus, transitoria ab æternis, turpia ab honestis discernat. Deum non cogitat iudicem, infernum non

S. 3.
Imago
malè trans-
figuratio-
nis Nabu-
chodono-
sor.

cogitat vindicem periculum animæ, ardorem gehennæ, suppliciorum æternitatem non recogitat. deinde tam fœdam contrahit confuetudinem, ut vix aliud delectet quàm peccare, hinc illud: *nitimur in vetitum* imò & fœtidum. vox illius nõ Deũ sonat, quo cor caret, sed de cordis plenitudine ambitiosus de honoribus, avarus de pecunijs, iracundus de armis, luxuriosus de Venere, Galatea, cupidine, bibulus de calicibus loquitur: *vox sua quemque sonat*. Non sapit Eucharistia, non verbum Dei, palatò enim penitus destructo belluinum animum rebus vilissimis pascit; nummorum tinnitus, vini in vitro splendor, in colloquijs spurcicies, detractio, mendacium primis sunt indelicij. Verbo: adeo durus est ad omnia pia monita, ut nec taurus æthiopicus (quem Plinius l. 8. c. 21. ait non sentire ictus silicium, nec ullum recipere vulnus) durior esse possit. Non capiuntur tauri æthiopici nisi prolapsi in grandem foveam, ita non resipiscunt ejusmodi ferini homines, nisi in fovea sepulchri; ubi tam vix vera quia fera, poenitentia agitur, quin potius ob nefandas suas formas in informia monstra vindice Deo transformantur. Narrat Baronius ad annum Christi 1054. ex B. Petro Damiano Benedictum IX. Antipapam visum esse in specie urfi asininas aures & caudam habentis, ac dixisse Viatori Vaclò, cui apparuerat: Noli expavescere, homo fui, qualis tu es, sed, quia bestialiter vixi, hanc speciem, post finem vitæ merui. ego solo, nomine Benedictus fui, Apostolicam sedem invasi, & nunc ad usque diem judicij per loca dumosa & sulphurea raptor, post diem judicij cum corpore & anima ardebo sinè spe, sinè solatio, sinè remedio. dixit & videri desijt.

Miris at diris infernus plenus est monstrorum figuris, ita ut nonnulli grunniant ut sues, teste eremicolà apud Stanihurstum de novissimis, alij barriant ut elephantes, rugiant ut leones &c. prout unusquisque in vita se gessit, eam bestię figuram in inferno sustinebit. Certè si propter culpas non graves, nec proprias nonnulli in bestiarum formas mutati sunt in hac vita, quid fiet in altera? De S. Hilarione scribit D. Hieronymus in vita c. 3. quod Hilarion adhuc adolescentulus ob exiguam in precibus distractionem dæmoni permissus sit, ut in dorsum ejus velut in equum insilierit, latera calcibus, cervicem flagello verberarit; quid fiet miseris peccatoribus propter bestialia scelera, quibus se contaminare non cessant? Præstigiatrice veneficorum arte homines in belluas apparenter efformari testis oculatus Augustinus l. 18. c. 18. affirmat; at non est præstigijs opus, peccandi sola voluntas has metamorphoses procreat: Begburgi (teste Delrio l. 2. disq. mag. q. 18.) supplicio est affectus quidam Petrus Stumsius, qui ubi a dæmone latâ quadam Zonâ cinctus fuerat & sibi & alijs lupus apparebat, quâ sub specie quindecim pueros jugulavit, eorúmque cerebrum abligurivit. multùm hi quidem nocent Lycanthropi, sed magis illi de quibus S. Ambrosius l. 6. Hexamer. c. 8. sunt animi bestiales, sunt feræ formâ hominum indutæ, de quibus dicit dominus, veniunt ad vos in vestimentis ovium &c. quàm blandus & humanus Joab in Amasam 2. Reg. 20. sed noli credere, fera bellua est, quot alij alunt sub pectore vulpem! Sanctos Patricios optarem, qui ejusmodi Vereticos (Waliae rex fuerat, versipellis & seipso in dies deterior, nec ullâ emendabilis arte) novos plecterent pro

S. 4.
Variæ be-
stiarum
formæ in
inferno.

pro merito & abire compellerent in vulpes. *Verè monstrosa res est*, inquit Hieronymus ep. 58. *speciem habere columbinam & mentem caninam, professionē ovinam & intentionem lupinam, intus esse Neronem & foris apparere Catonem, ita ut eorum contrarijs diversisque naturis novam bestiam diceret esse compactam.*

Lepidum apologum narrat Gregorius Turonensis l. 2. de fele cuiusdam Sutoris, quæ unum tantum musculum quotidie capiebat, fortuitò autem in atramentum lapsa & è candida nigra effecta putabatur à muribus monasticum habitum induisse, & carnes amplius non comestura, sed stragem passimures mirati sunt, quòd colorem non animum mutarint. *Vidi ego quosdam, ait purpuratus dalmata, qui postquam renuncia-vère seculo, vestimentis duntaxat & vocis professione, non rebus, nihil de pristina conversatione mutarunt.* O Metamorphosin noxiam! O transfigurationem scelestam.

Vocat ejusmodi malè transfiguratos D. Augustinus: *simulatores aliarum personarum*, Magnus Basilus verò: *histriones diaboli*, qui in profcenio hujus vitæ mores suos ad ostentationem componunt, at non nisi in tragœdia finiunt. talis histrio fuit religiosus ille Antonius Picenus, teste Ænea Sylvio, qui quadraginta diebus se simulabat jejunare, & putabant omnes, quòd angeli exacto jejunio cœlitus eidem ministrarent: cum interim cereus ex contusis pectusculis perdicum, phasianorum, caponum, & cingulum crassum aromatis fartum hypocritam sustentarent, sed in fine denudatio operum, quando inter horrendas blasphemias in Deum & Deiparam egit animam. talis ille monachus (teste Gregorio l. 4. dialog. c. 38.) magnæ æstimationis inter su-

os, qui tandem in morte se draconem in escam datum illiusque caudâ, genua & pedes suos colligari, rictu verò draconis animam suam ebibi extrahique coram fratribus proclamavit.

Recentius & horribilius est, quod nuper in Hispanijs accidit: Concionator magni nominis non virtutis, feminam formâ æquè ac famâ excellentem deperibat, sed illa fortiùs restitit, quàm posset oppugnari; admonetur maritus, qui strategemate usus, jubet nefario mœcho per uxorem tempus condici, ipse in propinquo cum milite præstolari statuit. adest adulter in sæculari veste & vim mulieri parat. renititur femina, clamat; sed surdis, ergo ungues & dentes in arma convocat, vires furor an virtus ministrat. inter luctandum sensit Heroïna pugionem lateri sacrilegi sacerdotis adhærere, quem mox stringit & in pectus nefarium validè adigit. quo patrato facinore curriculo se ad proximum conclave proripit, ubi maritum & famulos nequidquam inlamitans, vellicat, trudit, pungit, sed mortuis reperit similes, suspicata, quod erat, maleficium subesse, ipsa cadaver suis humeris effert, & in plateam cum pugione etiamnum cruento abjicit. quod compertum & sub sæculari habitu concionator agnitus, jussu prætoris in carcere affervatur. prætor verò summo manè cœnobium adit, evocat Præsidem, atque unâ omnes religiosos acciri optat de re maximi momenti, quæ omnes concerneret, acturus. adsunt in capituli loco. at prætor: videri sibi ait aliquem deesse, advertit superior concionatorem & excusat, quòd fortè instanti concioni incumbat; nihilominus volète prætore advocatur, sed missi referunt se strenuè cubiculi fores pulsasse, neminem aperire, ne-

Delrio dis-
quisit, ma-
gic. l. 3. p.
1. q. 2.

Hier. epist.
ad Rulitic.

§. 5.
Tria tra-
gica malè
transfor-
matorum
exempla.

neminem respondere. Superior ergo prætor comitante vi fores effringit & nihil præter facem ardentem & obscurum lucentem reperit in camino, hic quæ gesta enarrat prætor & cadaver è carcere ad profanam sepulturam extrahi mandat, atque dum hoc ignominiosè extrahitur, ecce tibi nobilis ille tragœdiæ omnem seriem enarrat, poterat infelici Cœnobitæ pro epitaphio illud Cypriani apponi: *extincto spiritu quatrividuo cada-veri solum supersunt exuvia virtutis, species exanimis, & simulacrum sanctitatis*. At nos D. Ambrosium adhortantem sequamur: *quod sumus professione; actione potius quam nomine demonstramus, nè sit nomen inane, crimen immane, nè sit honor sublimis & vita deformis, nè sit deifica professio & illicita actio, nè locutionem simulemus columbinam & mentem habeamus caninam*.

S. Ambros. l. de dignitat. sacerdot. c. 3.

§. 6. Malitia humana diras metamorphoses facit.

Scio corruptæ imaginationis vitio miras sibi formas fingere homines, fuit qui nasum sibi majorem credebat esse, quàm ut per quamcunque domus & urbis portam egredi posset, nec curari aliter potuit, quàm longo farcimine naribus admoto paulatimque ad extimam nasi partem abscisso, quâ etiam rasâ, ut sanguis proflueret, imaginarius tandem nasus avulsus est, fuit nuper inquit ex Levino Lemnio Cornelius, qui se mortuum dicebat, adeoque in septimum usque diem inediam protrahebat, cui perfando personati linteis obvoluti quasi mortui conclave ingressi sunt, mensaque instructâ liberaliter se reficere cœperunt. quærit æger, qui sint? quid moliantur? respōdēt se mortuos esse ac comedere debere. ergone reponit æger mortui comedunt? illi: cur non ederemus? veni, vide, gusta, exilit lecto phantasia & commentitijs mortuis con-

vescitur, liquamen medicum absumit, ex quo somnus & sanitas venit. Alius gesticulationes amentium tamdiu æmulatus est, donec revera in amentiam incidisset. Hæc phantasiæ sunt ludibria, atq; phantasia corruptior esse potest, quàm momentaneas & fictitias voluptates æternis delicijs præferre? umbram honoris præ vera gloria affectari? sensum rationi utique antepondere, verbo: comparari jumentis insipientibus & similem fieri illis. multi nasones, quanti quanti sunt, merus sunt nasus. Fabula Poëtarum est Gygen & Minotaurum partim homines partim boves fuisse. *Semibo-vemque virum, semi-virumque bovem*. l. 4. trist. eleg. 6. multi semi boves, imò ex hominibus toti boves sinè sensu, sinè conscientia, de quibus dici potest, quod de Nabuchodonosore D. Gregorius moral. c. 6. scripsit. *quia se super homines extulit, ipsum, quem cum hominibus habuit, sensum hominis amisit*. Misera sanè & extremæ plena clementiæ commutatio, humanum declinare laborem & paratum diabolo fridorem eligere sempiternum, inquit S. Bernardus in declamat.

At attendite malitiosissimi peccatores, qui culpâ & insaniâ vestrâ, ultrò bestiarum migratis in formas, quid dicet ad hæc Pater, qui ad imaginem & similitudinem suam vos condidit? quid Filius, qui pro vobis in similitudinem hominum factus inter bovem & Asinum Bethleemi jacuit, inter feras in deserto à 7. Janua. ad 15. Februarij mansit, inter duos latrones, quasi singulares feros pependit, à vitulis multis circumdatus, à tauris pinguibus obsessus, à canibus rabidis allatratus & mortiferè morsus, à leonibus rugientibus præparatis ad escam raptatus, à cornibus unicornium trans-

§. 7. Reformationis nostræ prototypus Christus.

transfossus, toleravit hæc volenter & libenter omnia, nè vos vitulari cum Hebræo populo, ferocire cum Nabuchodonosore, rabiem caninam exerere cum Semei, quasi leo in domo turbare domesticos, cum unicorni omnes impetere velitis, quin potius in authorem reformatoremque imaginis nostræ respicite, qui pro nobis non tantum homo fieri, sed digito à Pilato ostendi & dicier: *ecce homo dignatus est*, cujus ad exemplum mores vestros & amores componite, ut similes hominibus & non jumentis insipientibus comparati videamini. Quin potius transfiguretur unusquisq; cum Christo, & veste lucis induatur, quæ est animæ per sacramentum pœnitentiæ justificatio, assumat vultum

solis per conformitatem voluntatis propriæ cum divina, ut vultus in diversa amplius non mutantur, in-tret in nubem specierum Eucharisticarum, adhibeat pro tribus Apostolis tres virtutes theologicas, pro geminis prophetis mansuetudinem in injurijs proprijs, Zelum in injurijs Deo illatis, ut hac ratione è vultu & vestibus agnosatur solis æmulus, cælorum candidatus, filius dilectus, in quo sibi Pater complaceat.



PHILIPPICA XX.

In obsessos dæmonio muto, sive pœnitentes sacrilegos.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. II. V. 14.

§. I.
Ingens pudor est sacrilegum non superare pudorem.



S unquam linguas mihi centum, oraque centum optavi, hodiernâ imprecor die, cum contra dæmonia muta agendum, est. adeste energumeni, stete, audite, respondete, cur scelera vestra sacrilego involvitis silentio, quæ incessanter contra vos ipsos clamant, accusant, laniant & parturientium, ut ait Oseas c. 13. v. 13. pariunt in anima dolores? cur muto locum datis dæmonio, resistitis autem spiritui Sancto, cui non nisi syncerâ & integrâ confessione templum cordis vestri aperiri potest & consecrari? cur quod creditis *in die agnitio-*

nis toti propalandum esse mundo, uni pudet pandere sacerdoti non in confusionem, sed salutem & pacem, & gaudium, & gloriam vestram; nihil enim gloriosius homini, quam dare gloriam Deo, & sua confiteri peccata, juxta illud Josue ad Achan. *fili mi da gloriam Domino Deo Israël & confite-re atq; indica mihi, quid feceris, nè abscondas* Jos. 7. v. 19. nè abscondite o peccatores, sed indicate Dei vicario, quid feceritis, ut detis gloriam Deo Israël, gaudium spiritui sancto, vobis ipsis quietem, & securitatem. non est pudor confiteri pudenda scelera, sed pudor immanissimus est ab inordinato vinci pudore, tacere, negare, colorare in dæmonij muti gratiam ea crimina, quæ in Dei